

www.e-rara.ch

De Perfectione Christiana

Tyszkiewicz, Jerzy

Coloniae Agrippinae, Anno M. D. XXVI [d.h. 1626]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rw 116

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-58152>

Caput XLII. An perfectio sit possibilis?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

perueniant; habet enim qualibet virtus propriam perfectionem, ad quam peruenit, & crescit, & in Christo non nisi perfectissimæ fuerunt, vt vidimus cap. 19.

C A P V T XLII.

An Perfectio sit possibilis?

Hucusq; distulimus hanc quaestionem, vt clarius dissoluitur.

Certum est ex fide, possibilem esse non physicè solum, sed & moraliter, hominibus perfectionem in hac vita. Illud dicitur physicè possibile, quod ex natura rei potest fieri, seu non implicat contradictionem ex natura rei, maximè si detur causa cum omnibus requisitis ad illud efficiendum. Illud verò moraliter possibile, quod & physicè possibile est, & etiam iudicio virorum prudentum, qui consideratis omnibus molestijs, & difficultatibus, quas causâ subire oportet in producendo effectu, nihilominus censent illud fieri posse: quo pacto censetur impossibile moraliter, quòd sagittarius semper circa idem
 signum

signum repetitis milleictibus, collimet.
 hoc posito, Probatur nostra assertio. Pri-
 mò: quia nihil impossibile physicè vel
 moraliter hominibus, includitur in de-
 finitione perfectionis, vt vidimus: &
 prudentes docèt posse nos cōsequi per-
 fectionem, vt infra. Secundò. Quia Scri-
 ptura testatur, fuisse de facto perfectos
 homines in hac vita, scilicet Noe, quem
 vocat non solum virum iustum, sed &
 perfectum, Gen. 6. S. Paulus etiam ad
 Philip. 3. annumerat se perfectis: *Qui-
 cunque perfecti sumus, idem sentiamus.*
 Ex eadem scriptura habemus, Abraha-
 mo datum consilium à Deo, vt sit per-
 fectus, Genes. 17. *Ambula corā me, & esto
 perfectus.* Christus etiam Dominus hor-
 tatus est vniuersos ad perfectionem,
 Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater ves-
 ter perfectus est.* Et Matth. 19. adolescen-
 tem querentē, quid sibi cūm omnia mā-
 data Dei ab adolescentia seruasset, de-
 esset adhuc ad vitam eternam consequē-
 dam, docuit media, quibus perfectionē
 si vellet, consequi posset. *si vis perfectus
 esse, vade. &c.* Ad eandem quoque perfe-
 ctionem monent S. S. Apostoli, in-

agant & impellunt nos. S. Paulus 2. Ti-
 mot. 3. Omni homini datas esse sacras li-
 teras astruit, vt perfectus sit, & ad omne
 opus bonū instructus. S. verò Iacob ait
 cap. 1. patientiæ occasiones dari homini-
 bus, vt patientia virtutis structurā per-
 ficiat, & vt sint perfecti & integri in
 nullo deficientes. Quæ omnia ex S. Scri-
 ptura indicant, possibilem esse homini-
 bus perfectionem in hac vita, quando-
 quidem, & fuerunt de facto aliqui per-
 fecti, & ad nullam rem impossibilem vo-
 cat & hortatur Deus, cū sit & infinite
 sapiens, ac proinde non fallitur, &
 infinite iustus, ac proinde non exigit
 impossibilia, nec damnaturus est homi-
 nem, vt ait S. Hieron. Epist. 1. ad Deme-
 triad. pro eo quod vitare non potuit.
 Certum igitur est hoc ex fide. Tertiò:
 habemus Ideam perfectionis, & non
 vnam, & quidem etiam oculis nostris
 conspicuam ac imitabilem: non deest
 causā cum omnibus requisitis ad pro-
 ducendam perfectionem, propterea e-
 nim Deus peculiari modo est autor per-
 fectionis: multi etiā viri perfecti fuerūt
 in hac vita, qui nos præcesserunt ad per-
 fectionem.

fectionem, & iter nobis ad eam monstrarunt: non desunt duces ac Magistri, neque lux oculis, aut ingenium. quia Christus est *lux vera, qua illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum*, etiā cœcum à natiuitate: non possumus prætexere virium imbecillitatē; quia Christus qui nos hortatur ad perfectionem, potens est, & pro sua bona voluntate operatur in nobis, & velle, & perficere: denique obligamur nos Religiosi ad quærendam perfectionem; quæ omnia patent ex dictis supra; & indicant possibilem esse nobis perfectionem in hac vita.

CAPVT XLIII.

An Perfectio in saculo obtineri possit.

TRactamus hanc rem, non quia difficultatem alicuius momenti habeat, sed vt hac occasione, artem seu tentationem quandam dæmonis, mundi, & carnis, laruatam valdè, detegamus, qua multos, qui à Deo vocantur ad Religionem, & ad fugam saculi extimulab-